



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

IX. Quæ sit perfectior potentia, intellectusne, an voluntas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

luntati re-
spectu ali-
rum p[re]sen-
tium qua-
lis.

reliquæ, non sic intelligendam esse, quasi volun-
tas aliquid eis imprimat, vel modo aliquo imme-
diatè concurrat ad eliciendos ipsarum actus, est
nimirum sola moralis motio, quæ in philosophia
naturali, efficientia est accidentaria, in morali ve-
ro censetur per se, ac prouenit solum ex consensio-
ne potentiarum, quæ in eadem anima radican-
tur, & habent inter se dictam subordinationem natu-
ralem.

CAPVT VIII.

*Virum voluntas sit libera potentia in omni-
bus suis actibus.*

CApit hoc integrum ex autographo præteriui-
mus, quoniam latè tractatur in priori tomo
de Gratia Prologomente 1. & in Meta. d. 19. à sect.
2. & vlt[er]um etiam non parua pro eodem argu-
mento videri possunt in opusculo 4. de libertate
diuinæ voluntatis.

Quæri autem vlt[er]ius posset primo, an appeti-
tus rationalis, siue voluntas sit species infima, an
potius in homine, atque Angelo specie distingua-
tur, quod disputant recentiores 1. p. q. 59. art. 1. vbi
Cumel item Franciscus de Herrera in 2. dist. 13. q. 1.
& ipse author lib. 3. de Angelis, c. 1. Secundo quæri
posset, an voluntas, seu appetitus rationalis di-
stinguatur in homine in concupiscibilem, & ira-
scibilem, sicut appetitus sensitivus distingui à
multis solet. De quo videndus author lib. 3. de An-
gelis, cap. 1. post Scotum, & Gabr. in 3. d. 26. & 34.
Henricum quodl. 8. q. 15.

CAPVT IX.

*Quanam sit perfectior potentia, intellectus
ne, an voluntas.*

Hæc questio vltima est de potentijs animæ ra-
tionalis, nam postquam de his sigillatim di-
ctum est, complementum doctrinæ postulat, vt
eas inter se conferamus, id, quod etiam de poten-
tijs sensitivis tractari posset, reiecta tamen in hunc
locum est, quoniam in potentijs spiritualibus a-
pertior erit difficultas, ac facile poterit reliquis ac-
commodari. Arguitur itaque voluntatem præmi-
nere intellectui primò, quia habet nobilissimū
obiectum, ipsam scilicet rationem boni, prima au-
tem, & potissima perfectio rei esse videtur bonitas
ipsius. Confirmatur: nam bonum dicit ordinem
ad existentiam: verum autem, quod est obiectum
intellectus, ab existentia abstrahit, perfectius au-
tem videtur, quod ordinem habet ad existentiam
cum hæc sit prima, & potissima rei cuiusque per-
fectio: ergo, &c. Secundo arguitur ex actibus: nam
perfectior est actus voluntatis, quam intellectus,
si perfectissimum vnius actum ad perfectissimum
alterius comparemus: ergo & voluntas perfectior
erit: illa siquidem potentia perfectior creditur,
quæ meliori actui se explicare potest. Antecedens
patet: quia perfectissimus actus voluntatis est di-
lectio Dei, ac perfectissimus intellectus est Dei co-
gnitio, melior autem est amor Dei, quam cognitio
iuxta illud Paul. 1. Corinth. Maior autem horum est
charitas. Confirmatur: nam ordines angelorum di-
stinguuntur secundum eorum perfectiones, ac Se-
raphini superiori gradu, quam Cherubini locan-
tur: quia hi excellunt in cognitione, illi in amore:
ergo amor est perfectior. Tercio libertas est maxi-
ma perfectio, voluntas autem est potentia libera,
non intellectus: ergo, &c. Confirmatur: quoniam
voluntas regit intellectum, ad totum hominem,
adeo vt reliquæ omnes potentie ad nutum vo-
luntatis agantur: ergo ipsa tenet primatum inter
potentias. Quarto, voluntas totum hominem

Argum. 1.
pro volun-
tate.

Confirm.

a. Argum.

Confirm.

3. Argum.

Confirm.

4. Argum.

bonum, vel malum reddit: neque enim scientia
hominem bonum facit, vel malum, sed virtus, &
vitium: hæc autem ex voluntate maxime pendet,
quæ libertate propria non datur. Confirmatur,
quia hac ratione appetitus sensitivus est perfectior
or, quam imaginatio, quia ille capax est virtutis:
non autem imaginatio.

In hac questione Schola sancti Thomæ, & Sco-
ti discrepant, Scotus enim in 4. dist. 49. q. 4. statuit
voluntatem esse simpliciter perfectiorem intelle-
ctu, quem discipuli sequuntur. Idem sentit Alen-
3. p. q. 88. membr. 1. dist. 1. q. 1. Bonavent. Agi-
dius, Argentinas, Gabriel, & Maior in 4. dist. 49.
Albert. in 1. d. 1. q. 14. Aureol. apud Capr. ibid. q. 1. At
D. Th. 1. p. q. 52. a. 3. & contra opinatur, licet secu-
dum quid, seu in quibusdam actibus voluntas su-
peret: sequuntur eum sui, ac Durand. in 4. d. 94. q.
4. Palud. q. 3. Heruæ quodl. 8. quest. 9. Capr. in 1.
d. 1. q. 2. & d. 3. q. 3. a. 2. Abul. ad c. 5. Matthai, q. 30. &
Venetus 3. de anim. text. 58. videturque sententia
probabilior. Vnde sit nostra conclusio. Intellectus
est perfectior potentia. Hanc conclusionem decla-
rat sanctus Thomas ex obiectis in hunc modum. Intellectus
Nam obiectum intellectus simpliciter est, & ab-
stractus, quam obiectum voluntatis, ac modo a-
liquo immaterialius: ergo ipsa potentia perfectior
est: nobilitas namque potentie ex nobilitate ob-
iecti desumitur, illud autem obiectum nobilius
est, quod est abstractius, & immaterialius. Oten-
ditur vero antecedens, quoniam intellectus attingit
obiectum sub abstractione ab existentia, con-
siderando scilicet nudam rei quidditatem, volun-
tas vero non nisi in rem, prout habet ordinem ad
actuale existentiam terminatur: nihil enim ap-
petitur, nisi vel prout actu existit, vel exiturum
est. Hanc rationem Scotus cauillatur multiplici-
ter: eam vero prolixè defendit Caiet. supra, quem respicit.
videre licet. Verè autem ratio subtilis est optimè
ostendens perfectionem intellectus. Enimvero
intellectus potentia vis ea est, vt rem quamlibet
possit sub omni præcisione considerare, essentiam
ipsam ab existentia separando, & vniuscuiusque
propriam rationem vestigando. Quod sane vim
magnam arguit, immaterialitatemque intellectus
ipsius, voluntas autem simplici modo fertur in
obiectum appetendo existentiam illius: qui certè
minus operandi minus subtilis est, minisque im-
materialis. Secundo arguitur. Potentia intellecti-
ua immediatius sequitur ex animæ essentia, vo-
luntas vero medio intellectu: hic ergo est perfectior.
Consequentia exponitur: nam quādo passio vna
ex alia sequitur, seu potius mediante alia, quæ im-
mediatius sequitur ex essentia præstat ei, quæ se-
quitur mediatè, cum sit veluti principium alteri.
Antecedens autem suadet, tum ex communi ra-
tione potentie appetitiue, quæ ex potentia co-
gnoscitiua cōsequitur, sicut appetitio sequitur ex
cognitione: tum ex propria ratione voluntatis, cui
libertas, vt diximus, ex indifferentia, & pfectione
intellectus nascitur. Tercio Dignitas hominis po-
tissime ex intellectu desumitur, & ideo tanquam
differentia essentialem illius assignamus, quæ intel-
lectus sit, seu rationalis id vero principaliter ha-
bet ab intellectu, cum voluntas rationalis sit ex par-
ticipatione illius: præcedit ergo intellectus. Id quod
etiam inde ostenditur, quoniam voluntatis radix
ipse intellectus censetur: siquidem eo ipse, quod
asserimus hominem esse rationalem, quasi virtute
& radice pronuntiamus volitum esse, ac liberi ar-
bitrij: quare, &c. Vnde etiam confirmatur ratio,
namque potentia per essentiam rationalis, cuius-
modi est intellectus, perfectior est, quam quæ tantū
per participationem est rationalis, qualis voluntas,
quæ potentia cæca est, nec nisi ratione ducatur, o-
perari valet. Quarto intellectus est regula om-
nium.

Difficilius
in hac que-
stione.

Assertio est
firmius
reliquitur
Eius ratio
ex D. Th.

Caiet. Scoti
quem respicit
Defenditur
allatam
ex D. Th.

1. Ratio

Tercio

Confirm.

Quarta

SVAREZ
de Angelis, op[er]e
in 6. d. 1. et
anima.

TOM TOM
II III
I. d. 1. p. 1.

D. V. 2.

nium operationum voluntatis, & in tantum voluntas male, vel bene procedit, in quantum rationi conformatur: tota liquidem bonitas, & malitia moralis sumitur ex ordine ad rationem rectam, & ideo tanto voluntas est melior, quanto est rationi subiectior, teste Aristotele primo Ethicorum, capite tertio, Cicerone secundo officiorum, Augustino de libero arbitrio, cap. 9. & 10. ergo perfectior est ratio ipsa, quam voluntas. Quinto, in suppositis intelligentibus differentia perfectionis naturalis potissimè attenditur ex parte intellectiue potentie: nam voluntas fere eiusdem est rationis in ijs suppositis, vel saltem non potest tam facile distingui in eis ex diuersitate operandi sicut intellectus: & intra latitudinem angelorum maior perfectio maxime relucet in modo cognoscendi, vnde enim altiori modo, & per vniuersales species cognoscit, quam alter, in voluntatibus autem difficile inueniuntur distinctio, quæ in modo operandi, vt dixi, parum differunt. Signum ergo est perfectionem nature intellectuales potissimè se explicare in potentia intellectiua, atq; adeo esse perfectissimam potentiam in tali subiecto. Sexto, potentia cognoscitiua ex suo genere est perfectior, quam appetitiua: ergo si conferamus perfectissimam potentiam cognoscentem cum appetente perfectissima, illa hanc superabit in perfectione, siquid ex suo genere excedit, & in specie proportionaliter accrescit, sic autem se habent intellectus, & voluntas: ergo, &c. Antecedens primum probatur (reliqua enim nota sunt) namque appetitus quadam inclinatio est appetentis, vnde ex vi, & modo operationis appetitus non explicat perfectionem suam in tali opere, imo neq; ad hoc principaliter ordinatur, sed tantum ad bonum querendum: at potentia cognoscens de se est vis quadam explicans maxime perfectionem, & immaterialitatem rei cognoscendæ: per hanc quippe virtutem res cognoscens fit quodammodo res ipsa cognita, sicque cognitio ex suo genere magis propter se est, quam appetitus: ergo perfectior potentia est ex suo genere.

Ad argumentum primum prioris sententiæ negatur antecedens. Nam si obiecta intellectus, & voluntatis considerentur in ratione rei, sunt fere æqualis perfectionis, quia vtraque ex his potentijs vniuersalissima est. Nihilominus absolute consideratis obiectis, vt obiecta sunt, intellectus obiectum altius deprehenditur, cum nobiliori modo attingatur ab intellectu, quam à voluntate boni, vt diximus. Ad confirmationem respondetur etiam intellectum considerare res, quæ habent ordinem ad existentiam, imo & existentiam ipsam, ac rationem boni, eaque omnia perfectiori quodam modo attingere: vt explicatum est.

Ad secundum communis solutio est, intellectum, & voluntatem spectari posse in statu viæ, & in statu patriæ: ac priori modo actum voluntatis esse perfectiorem actu intellectus respectu rerum superiorum, sicque charitatem præcellere: cuius rei ratio redditur, quod intellectus attingat res, prout sunt intra ipsum, voluntas autem ad eas feratur prout in seipsis exiunt. Quoniam vero in via Deus, ac superiora omnia in intellectu nostro existunt imperfectè, atque obscure, ideo cognitio eorum est nunc imperfecta, & amor perfectus ex contraria ratione, quod in res tendat in se consideratas. Quod etiam sentit Hugo de sancto Victor lib. 6. in caulestem Hierarchiam, D. Dionys. c. 7. in hæc verba, *Dilectio superemmet scientia, plus enim diligitur, quam intelligitur, & intrat dilectio, ubi scientia foris est*: atque de hoc amore, & cognitione procedit illud Anselmi in lib. cur Deus homo c. 1. *Peruersus ordo est velle amare, vt intelligas, & velle velle intellegere, vt ames*. At vero in statu patriæ excedit actus

Francisc. Suarez de Anima.

intellectus actum voluntatis, quia tunc videtur prout in se est, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia vidimus eum sicuti est*.

Hæc vero responsio difficultates patitur. Primo enim rogo, quomodo voluntas in via possit magis, perfectiusq; diligere, quam intellectus cognoscit, cum appetitus non nisi in cognitum, atque eo modo quo est cognitum feratur? Secundo, quo ite modo intellectus res cognoscit prout in ipso sunt? imo non nisi prout in seipsis habent, agnoscit: alias in sua cognitione deciperetur, atque aberraret. Pro priori difficultate distinguenda est res cognita, & amata à modo, quo ea cognoscitur, & amatur: namque ex parte rei cognita, ac simpliciter rei amata, voluntas non amat quidem nisi rem cognitam ab intellectu: quoad modum tamen differentia intercedit: intellectus enim per assimilationem operatur, cognoscitq; obiecta per species eorum, quas in se habet, & ideo quasi in seipso speculatur obiecta, & hac ratione coheret, rem cognitam esse maxime cognoscibilem, ac simul imperfectè & obscure cognosci, atque adeo simul verum, in seipsa rem cognosci, & prout intra intellectum representatur. At voluntas operatur per modum impulsus, & inclinationis ad res cognititas, ideoq; non attendit modum, quo cognoscuntur, sed in res ipsas cognititas absolute ferrur, & sicque ferri in res prout in se sunt, apposite dicitur.

Posterior vero difficultas circa eandem solutionem oritur ex da nunc solutione prioris: sequitur quippe ex ea etiam in patria amorem perfectiorem esse visionem, cum ibi etiam amor feratur in Deum prout in se est, intellectus vero non nisi prout in se illum habet. Propter hanc instantiam quidam ex Thomistis sentiunt amorē in patria secundum quid perfectiorem esse: sed falsum sentiunt, namque ibi intellectus, & voluntas feruntur in Deum prout in se est, cum Deus secundum suam essentiam intellectui beati sit innotuit, neq; in se melius exiit, quam in intellectu illo, ac sicut voluntas Deum in se totum amat, ita & intellectus Deum totum videt in seipso. Rursus quemadmodum intellectus non totaliter Deum videt, ita nec voluntas totaliter amat. Sed iam tertia nascitur, & maior difficultas, etenim quamuis hæc habeant verum in super naturalibus actibus, at sit naturalibus sequi videtur actum amoris naturæ viribus elicitem perfectiorem esse, quam sit naturalis cognitio intellectus, ille namque amor in Deum tendit prout in se est, nullumque attingit super omnia, at cognitio imperfecta est, & obscura, vnde sequi plane videtur, voluntatem intellectui præstare, nam perfectio potentie ex naturalibus eius viribus pensanda est. Respondeo primo aliquam fortasse cognitionem Dei naturalem perfectiorem esse, quam sit amor naturalis, vt naturalis: quamuis vt moralis, amor sit perfectior. Enimvero nature viribus cognoscere Deum, & attributa illius inuoluit etiam cognitionem de diligendo Deum super omnia, quod totum intellectus naturaliter assequitur, & maioris perfectionis esse ostenditur, quam amare illum posse imperfecto quodam modo: præcipue, quia prædicta cognitio non supponit actum alterius potentie, à qua iuuatur: at vero talis ille amor cognitionem supponit intellectus, à qua fere totam suam perfectionem haurit.

Respondeo secundo licet amor naturalis perfectior esse admittatur, nihilominus intellectum perfectiorem potentiam esse, eo quod eleuari potest ad perfectiorem actum, quam voluntas. Pro quo notandum, licet actus visionis, & charitatis sint super naturales, nihilominus tamen habere fundamentum aliquod in natura potentialium, à quibus exercentur, vere enim intellectus ex natura sua nonnihil valet circa cognitionem Dei, quem plan-

S 2 ne

De potentia motiva secundum locum, an actua sit, atque ab aliis animae potentiis distincta.

Motus localis absolute sumptus communis est rebus etiam inanimatis: in animalibus tamē artificioso quodam modo editur à principio intrinseco actiuo per cognitionem, & appetitum: in alijs vero non ita. Quae differentia quod attinet ad rationem motus localis, non videtur essentialis, & ideo de ipso motu, qui est actus huius potentiae nihil superest dicendum praeter ea, quae in physicis dicta sunt, neque etiam de termino huius motus, nempe de vbi, quod tanquam obiectum ad hanc potentiam comparari potest: solum ergo restat dicendum de potentia ipsa, & de instrumentis, quibus hic motus executioni mandatur.

Hac porro quaestio difficultatem habet propter Aristotel. in 3. de anim. asserentem virtutem mouendi esse phantasiam cum appetitu, ex quo sequi videtur, potentiam hanc non esse distinctam ab ijs, de quibus haecenus diximus. In contrarium vero est, quia actus, & obiectum motus potentiae distincta sunt ab actibus, obiectisq; aliarum potentiarum animae. Pro resolutione notandum primo, motum localem duplicem inueniri in animalibus: naturalem scilicet, qui vitalis etiam dicitur, & animale, ex appetitu nimirum pendentem. Primus est tum continuus motus cordis, tum etiam diastolae, ac compressio pulmonum, ex quibus procedit respiratio, & arteriarum pulsus: hi enim motus omnes naturales dicuntur, quia in nostra potestate non sunt, vnde Aristotel. libr. de communi animal. motu, ad fin. spirationem inter motus non voluntarios numerat: potest quidem per appetitum aliquantulum detineri, & impediri spiratio: id vero non nisi quantum ad ingressum, vel exitum aeris: attamen motus ipse cordis interior nequaquam: sicut neque motus partis vegetatiuae. Iam vero motus alter, animalis nuncupatus, ipse est, quem progressuum appellant, quemque praecipue hoc loco intendimus.

De primo ergo motu sit prima conclusio. Potentia ad motum naturalem specialis est in anima distinctaeque ab appetitu sensitiuo, acrifens in corde, & pulmonibus. Probat, quoniam ille motus ab actione appetitus, vel sensus non pendet: his enim cessantibus exercetur nihilominus praedictus motus: ergo ab speciali alia potentia animae procedit. Antecedens experientia notum est: consequentia vero videtur euidens, nam talis motus à potentia actiua animae debet fieri, non à sensu, aut appetitu, siquidem his cessantibus ille non cessat: ergo, &c.

Circa motum progressuum, de quo principaliter inquiritur, est notandum, ad illum concurrere cognitionem, appetitum, externa membra, eorumque dispositionem. De cognitione res liquet, progressus quia progressio determinata esse debet, ad certum terminum tendens, vnde eam oportet dirigi ab aliqua vi cognoscente: tum quia appetitus non est absque cognitione. De appetitu quoque similiter liquet: animal enim seipsum mouet, cum appetit, & homo item quando vult: ac praeterea quoniam motus ille naturalis non est: erit ergo ab appetitu. Denique quod membrorum dispositio necessaria sit, constat, quia si prauè disposita sunt, non procedet motus, quantumvis animal appetat: idem amplius constat ex naturali compositione tallium membrorum, ideo enim iunctis inuicem colligantur conuexumque in concauo includitur, ut possit vnum in altero volui tanquam in cardine, quod obseruat Aristotel. 3. de Anima, textu 34. & lib.

Ad confirmationem 2. argum. in eodem n. 1.

ne sub obiecto suo comprehendit, alioquin non posset elenari ad illam visionem: ideoque dicendum de voluntate, quocirca intellectus de se habet non repugnantiam, ut ad illum perfectissimum actum eleuetur, ideoque de se perfectior est, quam voluntas: quod actum voluntas possit vnum aliquem meliorem actum naturalem exponere, quia intellectus non propterea perfectior absolute censenda est, tum ob ea, quae diximus, tum quia factus est intellectum communiter, & in ceteris actibus excellere, & haecenus de secundo argumento. Ad confirmationem vero eius ibidem adductam respondetur: sicut Seraphini perfectius amant, quia Cherubini, ita etiam perfectius videre, certum enim est absque controuersia ex perfectione Dei visionem sequi perfectiorem amorem: difficultas ergo communis est in vtraque sententia, dicendumque denominationem illam non sumi ex his, quae in ipsis Angelis inueniuntur, sed quae in nobis efficiunt. Seraphim itaque dicuntur ardentes, & incendentes, ut Diuus Dionysius ait septimo capite, celestis Hierarchiae, quia illorum munus est accedere in charitate Dei hominum voluntates, nam quia charitas in via perfectissima est, ideo hoc est perfectissimum Angelorum munus, quod Seraphinis tribuitur, Cherubini vero munus habent illuminandi intellectus, ex eoque denominantur, quo pacto interpretandus venit D. Th. 1. p. q. 108. art. 4. ad 6.

Ad 3. argum. in eodem n. 1.

Ad tertium argumentum principale respondetur, quantum in libertate voluntas superet intellectum, intellectum superare voluntatem in ratione, & discursu, multo vero maior perfectio est potentiam rationalem esse per essentiam, quam esse liberam, haec enim perfectio ex illa oritur tanquam minor. Vnde ad confirmationem negatur antecedens: potius enim intellectus regit voluntatem, totumque hominem, quam e contra: nam licet applicatio ad operandum sit à voluntate, rectitudo tamen operandi ab intellectu proponitur. Ex quo negare non possumus has potentias inter se dependentiam habere, seque mutuo iuuare, plus tamen est, quod voluntas intellectui debet, quam quod intellectus voluntati.

Ad 4. ibid.

Ad quartum dicto in intellectu potius consumari perfectionem hominis, cum per actum intellectum homo fiat beatus, at voluntatem reddere hominem bonum dispositiue in via, quia est principium merendi, ideoque bonitatem moralem consumari in voluntate, id tamen habere in quantum conformatur suae regulae, quae est recta ratio. Vnde prius, ac perfectius moralis bonitas oritur ab intellectu, quia de causa etiam dependentia, quae inter virtutes morales perfectissima est, in intellectu residet. Ad confirmationem quidam putant in potentijs sentientibus appetitum esse perfectiorem quamlibet cognoscente, eo quod actus omnes virium sensitiuarum ordinantur ad appetitum sensitiuum, seu ad delectationem, cum vis sensitua non nisi delectabile bonum attingat. Praeterea sensitua virtus ex natura sua ordinatur ad obediendum rationi, ad hoc autem vicinius accedit appetitus inferior (nam bruta ex concupiscentia potius quam ex eruditione ducuntur) in natura autem intellectuali, quae secundum se capax est vniuersalis, & summi boni, meliusque illud assequitur contemplatione, quam delectatione, & operatio appetitus ad operationem intellectus ordinatur, ideo intellectus perfectior asseritur. Et haec responsio ex S. Th. colligitur 1. 2. q. 4. art. 2.

Ad confirm. 1. solutio.

Respondetur tamen secundo etiam in sensitua parte sensum interiorem appetitui praecellere, cum habeat nobiliores operationes, nobilioresque operandi modum: ac plerumque ex rationibus factis pro intellectu in sensu etiam procedunt, neque vllae sunt quae contrarium persequantur.

2. solutio.

SVAREZ
de Angelis, op.
in 6. d. de motu
anima.

Tom. I. lib. I.
cap. I. de motu
anima.

D. V. 2.